



Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

3. Cùm vita sit breuis, nec morbos posse esse longos, maximè cum æternitate comparatos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

Cap. XXXIV. Morborū decim. sexta cauſſ. ut futura meditemur. 363
his eam verbis affata est: Margaretha, quid optas? tuāmne fieri,
aut DEI potius voluntatem? Non longa deliberatione opus erat.
Illico igitur, animo promptissimo respondit: Vtq; DEI fieri vo-
luntatem. Mox igitur Deipara adjecit: DEI voluntas est, ut ne-
postum, adhuc ad bene moriendum imparatus sanitatem recuperet;
in autem usq; ad finem vita tua pedaḡa doloribus crucieris. Hac
voce auditā, exclamauit Margaretha: Benedictus DEVS in ater-
num, dummodo DEI in me, & non mea voluntas impleatur. Ne-
mo intra tam breve temporis spatium vel plus docuit, vel plus
didicit. Quoties enim cumque postea in morbi ardore posita
a visitantibus interrogabatur, quo loco res illius sita essent? respon-
dit, optimo. Quia voluntas DEI in me completur. Quod non est
aliud dicere, quām: Sicut Domino placuit, ita factum est, sic nomen
Domini benedictum.

Sic sentire, sic loqui, qui discunt ægrotantes, proximi sunt
perfectioni, omnesque morbi molestias, quas sustinent, æquo
animo exhauiunt; cogitant enim hos corporis dolores, non
diutiū, quām vitam istam duraturos; adeoque longè esse tol-
erabiliores, quām eos, qui impatientes manent, nullumque sunt
sinē habituri. Si igitur voluntas DEI est, ut patiamur, nec po-
tent voluntas DEI vim pati, nonnē præstat ad tempus tolerare,
quām tolerare æternū? Quod ipsum discimus, dum, quod ad
tempus toleramus, tam grauiter sentimus: quid enim sentire-
mus, si sciremus & videremus, sine fine, sine termino sentien-
dum? At quidquid hīc patimur; si volentes patimur, ad tempus
dumtaxat patimur. Quia in vita beatorum nihil est eorum, quæ
in his terris molestiam miseriamque pariunt. Siquidem absterget Apoc. 21. 4.
DEVS omnem lachrymam ab oculis eorum: & mors ultrā non erit,
neg. luctas, neg. clamor, neg. dolor erit ultrā: quia prima abierunt.
Multæ sunt in hac vita lachrymis deflenda, labor, dolor, morbi,
variae calamitates; sed per has monemur, ut futuras ærumnas
magis æstimemus, vbi erit fletus & stridor dentium; earumque
loco aspiremus ad illam vitam, in qua omnes lachrymæ cessa-
bunt, quia & cauſæ illarum aberunt, non enim ibi erunt pec-
cata, non persecutores, non morbi, non dolores, non tristi-
tiae, non anxietates, quæ omnia extra cælum manebunt, in quod

III.

Zz 2

nihil

364 Cap. XXXIV. Morborū decima sexta causa. ut futura meditemur;
nihil ingredi potest, quod statum illum felicitatis turbet. His
talibus cogitationibus consolatur se ægrotus, præsentes dolo-
res omnes libenter contemnens, vt effugere possit eos, quorum
magnitudinem colligit ex ipsis, quos sentit.

IV.

Rom. 8; 18.

2, Cor. 4; 17.

Accedit huc, quod præter magnitudinem dolorum, quæ
exigui temporis patientiæ redimitur, etiam ipsius patientiæ co-
rona immensitasque præriorum animum subeat ægrotantis,
mirificeque extimulet ad fortiter patiendum. Quicumque enim
apud se statuit, nunc esse tempus serendi, messem sibi valde vbe-
rem proponit; cuius spe nihil curat omnem serendi laborem.
Quamcumque enim sint diuturni morbi, breves videntur cum
æternitate comparati. Ita ratiocinatus est Apostolus. Non sunt
condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, qua reuelabi-
tur in nobis. Id enim, quod in præsenti, est momentaneum, & leue tri-
bulationis nostræ, supra modum in sublimitate aeternum gloria pondus
operatur in nobis. Hinc perspicuum est, si cui sui labores, morbi,
molestiae nimis magnæ prolixèque videantur, id inde fieri, quod
non vna, vt par est, præriorum immensitatem expendat: si enim
cum breuitate huius vitæ beatitudinis æternitatem estimaret,
tantò minoris ficeret laborem, quantò pluris estimaret merce-
dem. Siquidem momentaneum & leue tribulationis nostræ supra
modum, in sublimitate, aeternum gloria pondus absorbet. Itaq; sicut
scintilla ignis incidens in Oceanum illico extinguitur, nec
comparatione digna putatur; ita, quod in præsenti est momenta-
neum & leue tribulationis nostræ, nihil est, & nihil faciendum,
si speretur in aeternum gloria pondus esse commutandum.

V.

Ferrar. 12.
Martij.

Neque generatim dumtaxat tribulatio cum gloria est pensi-
tanda, sed singulæ quoque passiones huius temporis, cum singulis
momentis gloria conferendæ sunt, vt quantumvis magnæ huius
temporis passiones, ad futuram gloriam non condignæ videan-
tur. Faciet ad rem, quod Ferrarius refert, Anno 1253. conti-
gisse. In Herruriæ quodam vico S. Geminiani nata erat quædam
insignis puella, Fina, in quam omnes gratia videbantur conflu-
xisse, quas vel terra solet, vel cælum hominibus suppeditare. In
ea erant bonæ corporis vires, frontis honor, oris decor. Sed lon-
gè maiores animidotes. In paterna domo, haud aliter vixie-
quam